



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Saluatur mulier per filiorum generationem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36308**

I. EPISTOLA AD

potenti manu Dei, Non deficiant corda super  
indignatione, ut ruant uel in Epicureum contemp  
ptum Dei, uel in blasphemias, ut Saul, Iudas &  
similes. Oportet enim in nobis esse initia noue  
obedientiae.

*Sine hesitatione.*

Id est, adsit fides uictrix dubitationum. Ac ne  
re statuamus, nos propter Filium recipi à Deo,  
cure esse Deo, & nostros genitus non esse irra  
tos propter Filium. Hæc alibi copiosius decla  
rantur. Exuscitet autem nos & hæc ipsa sen  
tentia ad precationem & ad fidem, Quia &  
præcipit fieri inuocationem, & uult uinci hesita  
tiones.

*Saluatur mulier per filiorum  
generationem.*

**N**ON dubium est Spiritum S. hanc dubi  
simam concionem de officijs sexus mulie  
bris opposuisse multiplici superstitioni. Et lau  
datio insignis coniugij est obseruanda ad reserua  
dos omnes fanaticos Spiritus, qui coniugium &  
æconomica officia damnauerunt, ut semper tale  
multi fuerunt, ut Marcion, Tatianus, Hieronimus  
ἐγκρατῖται, Παρὰ Monachi. His omnibus op  
ponitur



ponatur hæc uox Pauli: Saluatur mulier per filiorum generationem, si manserint in fide.

Primum autem de Grammatica iuniores admonendi sunt, Si manserint, dixit plurali numero, quia de sexu loquitur, ut dicimus Turba ruunt. Explodenda est igitur multorum insulsa interpretatio, qui uerbum manserint de filiis enarrant, Cum manifestè falsum sit matres non fieri saluas, nisi filij fiant salui Romano: 14. Vnusquisq; nostrum de seipso rationem reddet Deo.

Secundo, Respondendum est ad argumentum,

Sola fide saluamur,

Ergo non officijs œconomicis.

Respondeo. Antecedens uerum est, propter solius Filij Dei meritum dantur, reconciliatio, iustificatio, & hereditas uitæ æternæ, & hæc fide accipi oportet: Quam fidem noua obedientia necessario sequitur, Vt enim ipsa æterna uita in consummatione formaliter erit lux & uirtutum incendium, quæ erunt in nobis perfusis luce diuina, Sicut scriptum est, Deus erit omnia in omnibus 1. Corint: 15. Ita nunc inchoatio uitæ æternæ est inchoatio uirtutum, quas Filius Dei per Spiritum Sanctum in nobis accendit, Sicut alibi inquit Paulus 2. Corinth: 5. Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

Vide igitur Pauli prudentiam, cum laudasset

E 4 opus,



I. EPISTOLA AD

opus, mox & fidei mentionem facit cui cetera  
uirtutes addit, quia non iã de meritis disputat, sed  
comprehendit uirtutes, quæ cum fide necessario  
simul accenduntur. Quotiescunq; autem de obedi-  
entia dicitur, initio faciendæ est mentio uoca-  
tionis, Ita cum mulier præcipuè condita sit, ut pa-  
riat & imbecillum foetum foueat ac alat. Hoc  
primum opus complectitur Paulus inter uirtutes  
mulieris.

Simul autem ueræ sunt hæ propositiones, In-  
ustus fide Gratis propter Filium Dei, & per eum  
est hæres uitæ æternæ. Et altera, In hoc iusto ne-  
cessaria est noua obedientia, Quia ita fit confes-  
sio & uiuificatio per fidem, ut simul à Spiritu  
Sancto noua lux & noua obedientia accendantur,  
iuxta illud Ierem: 33. Dabo Legem meam in cor-  
da eorum Ideo inquit Paulus 1. Corinth: 9. Non  
mihi, si non Euangelizem. Item 2. Corinth: 5.  
Superinduemur, si tamen non nudi reperierimur.  
Item, Matth: 5. Nisi abundauerit iusticia uestris  
plus quàm Scribarum & Phariseorum, non in-  
trabitis regnum cælorum. Nec pugnant hæc, No-  
ua obedientia in iustificato necessaria est, Et ta-  
men non est meritum uel premium uitæ æternæ.  
Quia nunquam in hac uita Legi Dei satisfacimus,  
& nunquam sumus sine peccato, iuxta illud  
1. Ioan: 1. Si dixerimus, quòd peccatum non habet



benus, mendaces sumus, Fides igitur intuens Filium Dei, habet certam consolationem, & scit te heredem esse uitæ aternæ propter meritum Filij Dei, & per ipsum, non propter tuum meritum.

Ita Paulus hic nouam obedientiam necessariam esse significat, non uult esse meritum. Et inter uirtutes nouæ obedientiæ recenset officia œconomica, iusticiam & patientiam in communibus arumnis matris quæ multæ & magnæ sunt. Nominat autem has uirtutes, labores partus & educationis, fidem, dilectionem, sanctificationem & modestiam. Fidem necessariam esse in omnibus manifestum est, & hic cogitetur integra doctrina de fide, quæ est fiducia acquiescens in filio Dei, & accipiens propter eum gratis remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, ueram consolationem & uiuificationem, qua inchoatur in nobis renouatio propter filium Dei, & per eum. Hæc autem fides assidue in omni inuocatione, in omnibus periculis exercenda est, Et cum ea comprehendi intelligimus Spem & Tolerantiam, ut supra de precatione dictum est. Harum uirtutum exercitia sunt præcipuæ consolationes in tota hac uita, de quibus dicitur Philip: 4. Pax Dei gubernet corda uestra. Item Psalmo 124. Qui confidunt in Domino sicut mons Sion non mouebuntur in aeternum.

E s Dile



I. EPISTOLA AD

Dilectio sicut alibi significat dilectionem Dei & proximi, & comprehendit timorem & obedientiam erga Deum. Deinde in dilectione proximi, in matrefamilias prima uirtus est dilectio mariti & sobolis, lenitas animi, ne iracundia & rabie ipsius fiat triste coniugium, Nec abalienatur uiri animus. Item, Patientia ne maritum in aduersa fortuna deserat. Item sit iusta in contrahentibus, non sit defraudatrix. Item sit benefica erga pauperes. Hæ uirtutes omnes dilectione comprehenduntur & discerni possunt inspecto Decalogo. Fiunt autem magis conspicuæ cum exempla intuemur, ut Sara, Abigail, uidua Sareptina, Elizabeth matris baptiste, Elisabet Thuringica. Item Elizabeth sororis Caroli, quæ fuit nupta regi Danico, & comes exiliorum & magnarum arumnarum socia, nec uoluit regnum recipere oblatum sive marito.

Sanctificatio phrasi hebræa sæpè castitatem significat, ut primæ Thessalonicenses 4. Hæc est uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione, & possideat quisq; uas suum in sanctificatione & honore. Cum autem supra dixerit mulieres pariendo saluos fieri, constat non prohiberi consuetudinem coniugalem, sed adulteria prohiberi. Iam hîc cogitent bonæ mentes, & necessitas



necessariam & pulchram uirtutem esse castitatem, quæ est uel in coniugio uel in uita cælibe uitate omnes prohibitas commixtiones, & seminis profusiones. Ac de necessitate expressè dictum est 1. Corinth: 6. Ne erretis, scortatores & adulteri non possidebunt regnum Dei. Item Galat: 5. Qui talia faciunt regnum Dei non possidebunt. Item ad Hebræ: 12. Sine sanctificatione, id est, castitate nemo Deum uidebit.

Nec tantum æternæ pœnæ comitantur libidines in his qui non conuertuntur, sed etiam præsentis pœnæ in hac uita & conuersos et non conuersos opprimunt, Quanquam conuersis mitigantur, ut ostendit exemplum Dauidis. Et expressè dictum est Hebr: 13. Scortatores & adulteros iudicabit Deus, scilicet & in hac uita & post hanc uitam, si non fuerint conuersi. Iudicat autem Deus aliquando immediatè, sicut delet Sodomam, in quo exemplo diligentissimè considerandum est, illam horrendam executionem pœnæ ab ipso filio Dei fieri, qui in eo itinere hospes est Abrahæ, Vbi postea textus inquit, Pluit Dominus ignem & sulphur à Domino super Sodomam Gen: 19. Aliquando punit mediatè per imperia & alias calamitates, ut Antonius punitur ab Augusto: Sunt autem & magistratuum legitimæ pœnæ iudicij diuini, nec dubium est uagas libidines multorum

rum



I. EPISTOLA AD

rum ingentium bellorum & magnarum uastationum causas esse, ut ostendunt historia. Nam & inter diluuij causas fit mentio libidinum. Postea narrantur exitia Sodoma, Cananæorum, Et serè totius tribus Benjamin, Principes suspenduntur in deserto, adulterium Davidis secuta est seditio, Græcæ historiæ plenæ sunt exemplorum Sibaris, Thebæ, Sparta, Et nūc Africa, Asia, Ægyptus, Syria, Græcia, sunt aut solitudines, aut tetra Barbarorū stabula sine Ecclesijs, sine legibus, sine disciplina, sine doctrina, propter Idola, hereses & libidines. Horum tristissimorum exemplorum cogitatione nos exuscitemus, ut simus uigilantes in tuenda uera doctrina, in uera inuocatione, & uitandis inquinamentis libidinum. Circumspeciamus etiam quotidianas pœnas, Multæ magnæ & paruæ familiæ quotidie euertuntur propter libidinum confusiones, Quare castitatem p̄tueri studeamus, tum in coniugio, tum in uita cœlibe. Est etiam quædam ætatis teneritas, quæ ad huc facile potest retinere puritatem, Si uitet mala sodalitia & helluationes, & ad sobrietatem & ad labores honestos adiungit cogitationem de iudicio Dei, & de pœnis, & precationem.

Dixi autem iam de pœnis corporalibus. Apud Paulum Ephes: 4. fit mentio multo grauiorum pœnarum, uidelicet, cœcitatatis & indolentiæ, ut



cum Ptolemæi polluant se uarijs modis, postea ruunt cæci in domestica latrocinia, & sibi ipsis exitia accersunt, Et sunt in conspectu exempla pontificum, sacrificulorum & Monachorum, Ibi dominatur hæc duo mala Cæcitas et Indolentia. Plurimi sunt palam Epicurei, Alij pauci supersticiosi et fascinati falsis persuasionibus delere ueritatem conantur, deinde securi, sine ullo pœnitentiæ genuitu in magnis sceleribus uiuunt, & Sibaritico more omnia uoluptatum genera quærunt, donec ruunt in æternum exitium.

Has maximas pœnas cæcitatem & indolentiam formidantes maiore cura tueamur castitatem, & filium Dei oremus, ut cum ipse maxime castitatem amet propter suam gloriam nos adiuuet ne contaminemur. Ac ne Diabolo uoluptatem nostri lapsus præbeant, qui multiplices triumphos agit, cùm hoc modo aliquos euertit, letatur odio Dei, quòd fiant opera quæ ualde displiceant Deo. Item, quòd deformet creaturam Dei, & turbet ordinem diuinitus institutum, quòd auellit hominem à Deo, & contristat Spiritum sanctum, quòd præbet occasionem alijs multis malis secuturis, Nã Diabolus longã telam texit. Postremo, quid est tristius quàm ita uiuere, ut certò scias Deum tibi irasci, nec possis ad eum accedere  
inuoca-



I. EPISTOLA AD

inuocatione, aut petere ab eo auxilium, aut defensionem ulla in re. Hæ tantæ miseriæ sepe multumq; cogitandæ sunt, & exempla nostra, & aliena intuentia, ut nos ad poenitentiam & ad precationem exuscitemus, & uitemus occasiones lapsuum, & coherceamus nostrâ membra. Sicut Paulus inquit Ephes: 5. Ambulate accuratè, non ut fatui.

Vtile est rectè intelligere appellationes virtutum, & de earum fontibus, officijs, & dignitatibus sepe cogitare. In hac imbecillitate naturæ non uidemus quantæ res sint sapientia, ueritas, uirtus. Nec econtra satis cernimus quàm horrenda mala sint mendacium, cultus idolorum, iniusticia, pollutio, libidinibus. Præterea aut frigidè cogitamus de Lege, aut indignamur nos quasi iniuste in hunc carcerem inclusos esse, Sicut Gorgias dixit, Legem Tyrannum esse. Hanc in nostrâ naturâ caliginem & contumaciam sciamus esse magis, & tristia uulnera & horrenda peccata, de quibus dicitur Roman: 8. Sensus carnis inimicus est aduersus Deum. Ideo morbos nostros alio modo agnoscamus & deploremus & confitemur ad mediatorem filium Dei ad Samaritanam nostrum, & ab eo petamus auxilium. Et cum uirtutibus cogitamus, Deum ipsum intueamur, & sciamus talem esse, fulgentem uera & immensa



luce, sapientia, bonitate, beneficentia, ueritate, re-  
 stitidine, & puritate, & uelle nos sibi similes es-  
 se: Ita melius considerari natura & pulchritu-  
 do uirtutum potest, cum quasi in ipso Deo eas  
 aspiciamus.

Etsi enim Lex est doctrina, quæ narrat qualis  
 sit Deus, Tamen de uirtutibus angustius cogita-  
 mus intuentes Legem, à qua uelut à carcere ab-  
 horremus, Ames iusticiam in non ledendis alijs,  
 quia Deus talis est, uidelicet beneficus & equa-  
 lis, & uult nos sibi similes esse, et cogita hanc uir-  
 tutem ideo rem esse pulcherrimam, quia Deus ta-  
 lis est. Ita Ames ueritatem, quia Deus talis est, &  
 uult nos sibi similes esse. Hanc cogitationem &  
 ad ceteras uirtutes transferas, & uocabula re-  
 ctè enarrentur. Sumantur autem enumeratio-  
 nes & descriptiones ex Decalogo, ut sepe dici-  
 mus.

Vocabulum  $\sigma\omega\phi\rho\rho\upsilon\upsilon\kappa$  hoc loco ut sepe ali-  
 às significat & temperantiam & modestiam,  
 Propriè autem temperantia nominatur conueni-  
 entia in cibo & potu. Hæc uirtus per sese ne-  
 cessaria est, quia uicia contraria corpori exitio-  
 sa esse per sese manifestum est, ut dicitur plures  
 intemperantia quam gladio perire. Et nutrix est  
 multarum aliarum uirtutum, inuocationis, inten-  
 tionis,



I. EPISTOLA AD

tionis, deliberationis, diligentie, circumspectionis, castitatis, ut cum intemperantia impedit seipsum timoris Dei, pœnitentiam, meditationem, inuocationem, & confirmat securitatem, & multa uicenda cupiditatum auget. De inuocatione dicitur Marci 9. Hoc genus demoniorum non citur, nisi ieiunio & oratione. Et Petrus inquit 1. Pet: 5. σωφρονίσατε & sobrij estote ad precationem. De Castitate, Et Venus in uinis igne in igne furit. Et Iuuenalis, Quid enim Venus ebria curat? Et semper sit in conspectu dicitur Seneca, Consuetudine insanie durata uicia uic concepta etiam sine uino ualent.

Nec dubium est augeri publicas & priuatas calamitates, propterea quia Deus intemperantiam punit, quam quidem plerunq; & alia multa uicia comitantur, iuxta illud Epigramma, ἡλιὰς μεθύει ἢ ψεύδεται, ὁὗτος ἐκαστοῦ οἴκου, τὸ ἢ καὶ ξυναπᾶσα πόλις. Heliaca urbs sumitur est mendax ac ebria, Talis tota urbs est, domus ut quaelibet esse solet, id est, publicus malus statim inde oritur, quia singuli nolunt sese emendare, sed quilibet alijs uult Leges ferre, non sese & suos regere cum dictum sit, iustus primum accusatus est sui.

Modestia uerò est uirtus in opinione, sermo in gestu, actione negociorum, seruans conuenientiam



tiam, id est, retrahens nos intra metas personarum conuenientes. Ex hac definitione intelligi potest, Modestiam tanquam totum complecti multas partes seu species, quarum aliquæ appellationibus discernuntur, & fiunt discrimina illustrata cum conferuntur opposita uicia: Cum Modestia pugnant superbia, Thrasonica uanitas, seu iactantia. Item Garrulitas, futilitas, scurrilitas, Petulantia, obscœnitas, Item luxus, & ineptiæ in uestitu, & multò maximè pugnat cum modestia curiositas, seu  $\omega\sigma\lambda\nu\pi\tau\alpha\gamma\mu\omicron\sigma\upsilon\nu\kappa$  ingerens se in aliena negotia.

Etsi autem uicia omnia quæ pugnant cum temperantia & modestia in omnibus hominibus, uiris & sceminis perniciosa & deformia sunt, tamen in mulieribus magis conspicua est deformitas, quia hic sexus propter infirmitatem latere debet. Itaq; ualde turpe spectaculum est in cœtu mulier ebria, & facilius tunc ruit in alia decora. Sic deformitas magis conspicua est in muliere garrula, curiosa, admiscente se negocijs gubernationis, ut Liuiam matrem Tyberius nominabat Vlyssèm stolatum, propterea quia in republica multa negotia astutè mouebat. Itaq; multa præcepta traduntur, quæ iubent mulieres œconomica domi curare & ommittere negotia quæ à uiris gubernanda sunt. Ideo sæpe citatur dictum

F Sopho-



I. EPISTOLA AD

Sophoclis ex Aiace γυναιξί κοσμὸν ἢ συγῆ φέ-  
ρεται, *Mulieribus silentium decus est.*

Etsi autem brevis est hæc apud Paulum enu-  
meratio uirtutum, tamen lector attentus uidebit  
formam totius uitæ matronalis hic sapienter com-  
prehensam esse, Nec ero prolixior, quia oportet  
Decalogum omnibus notissimum esse, qui est fons  
doctrinæ de omnibus uirtutibus.

Rursus autem admoneo lectorem, ut testimo-  
nium de laude coniugij hic consideret, & causas  
cogitet, Deus immensa sapientia sic condidit ge-  
nus humanum & certo modo coniunxit, uult in-  
telligi & præstari castitatem, uel in coniugio uel  
in uita cælibe eorum, qui sunt idonei ad uitam  
cælibem, uult uitari huius ordinis conturbatio-  
nem, & horribiliter punit uagas libidines priuatis  
& publicis calamitatibus, & deinde peruenit  
æternis, nisi fiat conuersio, Propter has causas  
laudata est uita coniugalis.

Cum autem oporteat regi nos uerbo Dei, &  
nulli cultus Deo placeant sine uerbo Dei, manife-  
stum est Monachorum uota non esse cultus Dei,  
& cumulauerunt Monachi & Sacrificuli multa  
alios errores, & cultus idolorum, quibus ad-  
iuncta est prohibitio coniugij, quam infra Paulus  
expresse nominat doctrinam demoniorum. Signi-  
ficat autem hic titulus multa magna mala, ara  
dei



det Diabolus odio Dei, & ut Deum contumelia  
afficiat, primùm falsos cultus & mendacia in ge-  
nere humano serit, Deinde opus Dei, scilicet ge-  
nus humanum, horribiliter deformare & perde-  
re conatur, accendit discordias & bella, multos  
impellit ut teterrimis libidinibus contaminentur,  
quia scit Deum ualde irasci confusionibus libidi-  
num, Et hæc facit omnia, ut quam plurimos ho-  
mines pertrahat in aeternum exitium, & ad eter-  
nas blasphemias Dei. Eodem consilio impulit  
hypocritas ad Legem de cœlibatu imponendam  
sacerdotibus, & ad excogitanda impia uincula  
uotorum, quæ multipliciter offendunt Deum,  
Quia & nerui sunt falsorum cultuum, & sunt  
cause horribilium contaminationum, propter  
quæ peccata ingentia hominum agmina ruunt in  
eternas pœnas.

Hæc mala & eorum fontes intelligi necesse  
est, et impia Lex de cœlibatu damnanda est, Ac ijs  
qui discedunt à defensoribus idolorum et Legis de  
cœlibatu, magna consolatio est, quòd Paulus ex-  
presse nominat illã Legem doctrinã demoniorũ,  
ut certissimè sciamus eam displicere Deo, &  
conscientiæ sciant fugiendam esse societatem eius  
defensionis, iuxta illud, Si quis aliud Euangelium  
docet, anathema sit. Sic autem ab illis discedamus



I. EPISTOLA AD

non ut priores sordes retineamus, sed efficiamur  
membra filij Dei uera inuocatione, castitate, &  
alijs ueris cultibus.

CAPVT III.

*Si quis Episcopi munus de-  
siderat, honestum opus  
desiderat.*



Admonitiones breues antea de do-  
ctrina fidei & operum tradidit,  
nunc addit admonitionem de mi-  
nistris Euangelij quasi Ecclesia  
politiam constituens. Hic igitur  
de uocatione & ordinatione dicendum est. Pri-  
mum autem sciendum est duplicem esse uocatio-  
nem, Alteram quæ fit immediatè à Deo. Alteram  
quæ fit mediatè per homines iusto modo. Imme-  
diata prior est, quia Deus immensa bonitate pro-  
pter filium & per filium sibi uult eternam Ec-  
clesiam colligere, ideo primum constituit sum-  
mum sacerdotem filium, hic primus ex sinu atere-  
ni patris profert Euangelium, hic ordinatus &  
unctus est plenitudine Spiritus sancti, ut Esaiæ  
61. dicitur, Spiritus Domini super me, eo quod  
iuxta